

# PIPINVS REX FRANCORVM.



Pipinus filius fuit Caroli Martelli Maioris dominus Franciæ, cui etiam ob plurimas animi & corporis uirtutes statim in officio successit. Austrasiam uero fratri suo Carolomanno gubernandam reliquit. Hi primò Aquitanos rebellates bello adorti, compescuerunt. Postea arma sua contra Saxones, Bauaros, & Sueuos conuerterunt, qui Francorum potentiam ueriti contra eos conspirabant. Bellum autem illud multò grauius est exortum, quam initio putabatur. præsertim cum Grypho Caroli Martelli ex altera uxore Sunahilde filius sese ad hostes contulisset, propterea quod fratres in regnorum diuisione ipsum ferè præteriſſent.